Quelle: https://manuscripta.at/?ID=457
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

cantur esse generatos. Hi per totam habi-
tant solitudinem, de quibus puto et poetam
dicere: Lateque vagantes barchei. Et super
dictum volumen contra faciem omnium fratrum
suorum habitabit, eo quod latissima heremus
ab India ad Mauritaniam usque tendatur et
ad Atlanticum oceanum. Quod puto Hieremie
titulum sonare: Ad Cedar et ad regna A-
sor, que percussit Nabuchodonosor rex
Babylonis. Statimque sequitur: Hec dicit dominus.
Surgite et ascendite ad Cedar, et vastate
filios orientis. Tabernacula eorum et greges eorum
capient, pelles eorum et omnia vasa et came-
los tollent sibi. Et cetera. Iniuit enim contra
vos Nabuchodonosor rex Babylonis
consilium, cogitavit adversum vos cogi-
tationes. Surgite et ascendite ad gen-
tem quietam et confidentem habitantem, ait
dominus. Non ostia, non vectes eis. Soli habitant,
et erunt cameli eorum in direptionem, et multi-
tudo iumentorum in predam, et dispergam eum in
omnem ventum qui sunt attonsi in comam, et ex
omni confinio eorum adducam interitum super eos,
ait dominus. Eritque Asor habitaculum draco-
num, deserta in eternum; non habitabit ibi vir,
nec incolet eam filius hominis. Totum propter
testimonium de Hieremia posui, ut que
sit Cedar indubitanter intelligas. Et con-
sideres quomodo Hismahelitarum, hoc est Sarracenorum,
proprie gentem descripserit qui habitant in
tentoriis, qui quasi nox ēpulit sedes ten-
ent, quibus armenta sunt et pecora camelorumque
greges, qui non habent ostia nec vectes,
non enim versantur in urbibus sed in solitudine.
Et hii igitur a Babyloniis deiecti sunt, eo quod Asor
civitatem que metropolis gentis illius in
heremo fuit usque ad solum verterint.

Et tamen cum camelorum et ovium greges capti
sint pellesque eorum tentoria sorte divisa, non
omnis gentis illius significatur interitus, eo quod
dromedariis camelis centum et amplius milia
uno die per vastam solitudinem fugere soleant.
Auferetur inquit omnis gloria Cedar, et imminu-
to numero sagittariorum qui maxime pollent
arte pugnandi, ceteri qui fugerint remane-
bunt. Quia intelleximus quid sit Cedar que A-
rabia queque Asor, videamus Esayas propheta quid
dicat: In saltu ad vesperam dormietis in se-
mitis Dodanim. Verbum arab ut sepe iam
diximus et vesperam et Arabiam et corvus et plani-
ties et occidens appellatur. Et pro eo quod nos
iuxta LXX transtulimus dormietis, potest interpre-
tari morabimini sive habitabitis, hoc est
aulistheseche quod hebraice dicitur thalin.
Dodanim quoque in propinquos vertitur et cogna-
tos. Itaque precipit nunc iudeis qui obsidionem
Babylonie effugere potuerint, et de totius
provincie vastitate ad heremum transire vi-
cinam quod habitaturi sint in solitudine
Arabie in itinere quod ducit ad fratres. Rursumque
ad Hismahelitas sermo convertitur, et eos ad
misericordiam cohortatur: Currite et lassis fratribus ac
periclitantibus ardore sitis obviam ferte aquas.
Tantus enim fervor est solis, ut nisi subveneri-
tis in solitudine pereant. Et non solum aquam sed
et panem ferte fugientibus, ut quos contrivit
obsidio vestra clementia relevet. Simulque
reddit causas quare hec imperet fieri di-
cens: Fugierunt Babylonium gladium, fugierunt
arcum clamitarum, fugierunt imminens
prelium; nec despiciatis miseros, cito veniet
et vestra captivitas. Quomodo enim velox mer-
cennarii annus est, et omnem laborem brevem
putat, dum ad desideratam mercedem perveni-